



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Cura adhibenda, vbi quis conualescit à peste, aut ab eius suspicionone liberatur. Cap. XXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

vel duos priores de Capitulo certior statim fiet Episcopus, qui propius abest, & Metropolitanus item. Cuius erit, fratrem Episcopum, ita laborantem, omni sollicitudine, & caritatis officio consolari: eique salutaria adiumenta, ut accuratissime poterit, adhibere.

10 At nē Episcopus, si fortē in pestilentiam inciderit, vlla ope spiritali in primis destituatur, id sibi subsidij comparabit, antea quā pestis in Diocesim irrumpat, ut certos sibi Sacerdotes, caritatis zelo flagrantes, spiritalisque vitæ vsu peritos, præsertim ex Capitulo, conquirit, & pareat, qui laboranti ex peste Episcopo, constanter ministrent, quæ ad animæ salutem pertinent.

11 Is verò, dum æger, se etiam pijs, cœlestibusque meditationibus consolabitur, dum spiritalium Sacerdotum assistentium colloquijs, atque etiam, si per morbi vim licet, lectione aliqua de sanctis, utpotè Cypriano martyre, Bernardino Senensi, & beato Rocho, & alijs, quorum diuinæ virtutes in pestilentia eluxerunt.

12 Neque dum morbo laborat, ex ædibus Episcopalibus, se aliò confortet, sed in ijs persistet; ut si fortē obeat, Clero & Canonicis, præsertim Ecclesiæ Cathedralis, id quod sanctissimi Episcopi religiosè fecerunt, tūm reliquis etiam extremum ferè spiritum agens, salutaria monita tradat, atque in statione sua Episcopali, quemadmodum Episcopum decet, ex hac vita migret ad Dominum.

13 Erit autem Capituli Cathedralis Ecclesiæ præ omnibus, dum ille in pestis ægritudine est, supplicationi instare; ac præterea Vicarij generalis, orationem sine intermissione in vrbe, Diocesi que indicere, & habere, ut pro eo, communi omnium parente, precatio assidua, religiosaque ab vniverfo clero, populoque habeatur ad Deum.

Cura adhibenda, vbi quis conualescit à peste, aut ab eius suspitione liberatur. Cap. XXVIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Cura Parochi erga conualescentes à peste, eò spectat, ut ad confessionem generalem inducantur.
- 2 Ut sacramenta frequentent.
- 3 Ut orationis matutinae, & vespertinae usum retineant, & alia religiosa officia exerceant.
- 4 Ut à peccandi occasionibus se abducant.
Ut puellæ
- 5 Virgines } lectissima femina commendentur: utque Parochus earum custodiam gerat. 6.
Mulieres iuvenes }

- Vt puerorum*
Adolescentum
Infantum
Ope destitutorum } curam paternam suscipiat.

1 **N**eam etiam curam totus incumbet Parochus, ut omnes, & singuli, qui à morbo conualescunt, aut à pestis periculo, suspicione uè libere euadunt, tunc maximè fixa animi deliberatione propositoque verè nouæ vitæ suscepto, & diligentissimè, religiosèque discussa conscientia, peccata omnia, quæcumque in antea vita admiserint, probato confessario Sacerdoti confiteantur; si quando pestis initio id minùs præstiterint.

2 Vt sanctissimorum sacramentorum frequentè usum adhibeant.
 3 Vt precationis, & orationis assiduæ, & frequentis, præsertim matutinæ, & uespertinæ usum item, & consuetudinem suscipiant, aut susceptam retineant perpetuo.

Vt alia Christianæ religionis officia, quibus vitæ spiritualis studium exardescit, amplectantur, & colant diligenti exercitatione.

4 Vt ab omni malè agendi consuetudine, ab omnique peccandi occasione sese abducant; hominum, qui uitiorum, flagitiorumque impunitate inquinati sunt, commercium, & familiaritatem resugiant; & peccatorum, in quibus antea prauo quodam usu uersati sunt, semina præcidere studeant.

Alia præterea grati animi officia illis commonstrabit, quæ infra, cum de peste extincta agitur, uberius explicata sunt.

5 Quoniam autem sepe fit, ut in ijs puellæ, & uirgines, & mulieres florenti ætate, parentum, aut aliorum, qui proximè propinqui sunt, morte, ab omni ope destitute sint, ac proinde periculum sit, ne ad impudicitiam turpiter prolabantur; ideo Parochus si quas in Parochiali uicinia habet, aut etiam ex Parochia sua in communis curationis hospitali, alio uè loco collocatas, illas singulas matrone honestæ, illis propinquitate, aut uicinia coniunctæ, alij uè formine lectissime, quo maximo potest, caritatis studio, commendet, ut eas, si necesse est, elemosinæ etiam largitione subleuet: in omnibusque rebus cum earum curam illa suscipiat; tum maximè, id quod caput est, in timore Dei, sanctæque vitæ ratione, easdem instituat, ac præsertim ab omni labe puras, atque integras conseruet.

6 Atque in omni quidem huius custodiæ, officij uè genere ille ipse Parochus curam præcipuam maximè sustinebit. Ideoque ubi primùm

mum uel conualuerint, uel à suspicione liberę erunt, illius cura, & studio in monasterio, locouē pio collocabuntur; aut matrone honestę famulatu addicentur; aut alia honesta conditione eorum necessitatibus, ac simul pudori prospicietur: & quo rectius, & cautus id omne agatur; ad Episcopum etiam, si opus erit, confugiet.

7 Puerorum, & adolescentum, qui mortuis parentibus, & propinquis in eodem statu uersentur, & infantum etiam lactentium, & aliorum præterea, qui ab omni re inopes, aliorum auxilio destituuntur, eandem ipsam curam, & sollicitudinē paternā suscipiet, ac sustinebit.

Cura mortuorum.

Cap. XXIX.

S Y M M A R I V M.

- 1 Mortuorum Episcopi cura.
- 2 Mortuus quot horis insepultus remaneat; quando, & quomodo, & à quibus efferendus.
- 3 Vespilones, Monatiuē, efferendis mortuis præsciendi: iisque deficientibus à quibus alijs efferendū.
- 4 Funus, ex ritu Ecclesię, & à quibus Sacerdotibus agendum. 6.
- 5 Impensa funeris à quibus facienda.
Elemosina funeris, quanta. 8.
Sepultura; sepulturaeque locus qualis. 9. 10.
- 7 Sepultura nemo tradendus infcio Parocho, Sacerdoteuē: & quid ea in re ab illis agendum.
- 11 Clericū funus à quo celebrandum.
- 12 Officia pro mortuis quę, quando, & à quibus agenda. 14. eaque in re officium Parochi. 15. 16.
- 13 Episcopi mortui funus, & exequia.
- 17 Episcopi officium in suffragijs mortuorum procurandis.



Æc pro mortuis pestilenti tempore præstanda Episcopus curabit, eoque vigilantius, quò grauior culpa multorum in eo caritatis officio aliquando exilit.

Si quis igitur peste affectus, eouē nomine suspectus mortem obit, eius corpus nè citius duodecim horis, nec verò tardius quattuor, & uiginti horis, vel eo circiter temporis spacio sepeliatur, postquam obijt. Noctu nè efferatur, nisi Episcopi concessu scripto aliter quandoque iustis causis permissum sit.